

suos verberibus plagisque saeuire non dubitent. Sed utinam non tam apud nos, quam apud Veteres eiusmodi inuenirentur excessus! Saeculo 7. in Conc. Brach. III. (a) iam conuesti sunt Patres, quosdam ex fratribus tantis caedibus in honoratos subditos efferuescere, quantas poterant latrocinantium promereri personae. Ac nisi saepe priscis iam temporibus eiusmodi exempla occurrissent, quid opus fuisset, tot canones legesque hac de re condere? Dn. D. Luc. Bacmeisterus (b) meminit Pastoris cuiusdam, qui sub administratione S. Coenae Rustico iuueni colaphum impegit, ex quo hostiae nonnullae deciderunt in terram. Apud D. Spenerum (c) quoque mentio fit Pastoris, welcher diejenige / zu welchen er einen Haß gehabt / aus blossen vergaltten Gemühte unhöflich und unpriesterlich angefahren / geschimpffet und geschmähet / auch wohl gar geschlagen. Sed quid veteribus illis exemplis immoramur? Inexpertus rerum omnium fit oportet, qui nesciat, idem in Ecclesia quoque nostri temporis non raro contingere. Exempla, mihi & hic publice nota, in praesentia commemorare nolo.

Quomodo
puniendi
sint Epi-
scopi per-
suffores

§. 19. Cum igitur dari eiusmodi Ministros constat, operae pretium erit, paucis indigitare, quomodo puniendi sint. Apud Veteres ab officio eosdem remoueri debuisse, ex canonibus supra allatis clarum est. Gregorius (d) quoque Andream, Episcopum quendam Tarentinum, qui alios verberauerat, ab officio suspendit. In Consistoriis nostris quidem poena arbitraria obtinet; plerumque autem criminis huius rei, si non remoueri, tamen ab officio suspendi solent. In casu illo à D. Bacmeistero recensito ita M. Colerus, Superintendens Parchimensis, adprobante D. Bacmeistero, iudicat: *Sententia mea breuissime haec est: in hoc negotio Ecclesiastico negligenter, irreuerenter & scandaloſe pertractato, Pastorem hunc, praesertim si alias ipsum hominem leuem esse deprehensum fuerit, aut ab officio prorsus remouendum, aut ad minimum ad tempus suspendendum, eique poenitentiam publicam iniungendam. Nam hic non perponderanda*

(a) vide Jus Can. c. l. (b) Magni Lucae Bacmeisteri, Atami mei, cuius cineres veneror, filius in Fascic. quaest. 90. 30. (c) Theol. Bedend. P. 1. c. 2. Art. 3. sect. 4. p. 605. (d) L. 2. Ep. 92. all. Espencaeo f. 288.